

quidem semel tantum in anno, sed quoties coetus commoditas id patitur, celebranda. 2. Pœnitentiam hominibus post Baptismum lapsis denegant. Id quod ex Nouatianorum fœce sumptum est, seu potius à Nouatianis ex Quartidecimanorum errore. Socrat. lib. 5. cap. 22. Sic delirant, ut ait Augustinus lib. 2. contra Faust. qui sanam doctrinam nõ sustinentes, ad fabulas conuertuntur.

## CAP. XXX.

Alogiani cur dicti. Erroris autem eorum capita duo recensentur.

**A**logiani propterea sic<sup>1</sup> vocantur, tanquam sine verbo (λογος enim Græcè verbum dicitur) quia Deum<sup>2</sup> Verbum recipere noluerunt, Ioannis Euangelium respicientes, cuius nec Apocalypsin accipiunt. Has videlicet Scripturas negant esse ipsius.

I Sic vocantur.) Immanior verò & tetrior superiore fuit hæc pestis & hæresis, de qua nunc sumus dicturi: quam qui sequuntur, Alogi, Alogii, Alogiani, & Artemonitæ vocantur. His enim tot nominibus vna illa secta dicta est. Ἀλογοι quidem & Ἀλόγιοι ab Epiphanio & aliis: quas voces Latini Alogos & Alogianos verterunt, uti hoc loco Augustinus. Isidorus verò Alogios, quòd λόγον Θεοῦ, qui est Christus, negarent esse & Deum, & Dei Filium. Itaque quòd λόγου significationem & vocabulum, quo Ioannes Euangelista tamen utitur, repudiarent, Alogii sunt appellati. Sed etiam Berilliani à Berillo Bostrensi, vel ut alii volunt, Bosseensi Episcopo